IN FVNERE SERENISSIMI KAROLI ARCHIDVCIS AVSTRIÆ FERDINANDI CÆSARIS FRATRIS

ORATIO

IACOBI ACCARISII E' SOCIETATE IESV

Habita MANTVÆ in Æde S. BARBARÆ

AD SERENISSIMVM

FERDINANDVM MANTVÆ DVCEM

Funus celebrantem.



MANTVAE, *Apud Fratres de Osannis, Ducales Typographos*, *Anno* M. D C. XXV. Superiorum permissu.

VIRTVTE ET LABORE

FERDINANDO GONZAGÆ DVCI MANTVÆ, ET MONTISFERRATI.

IACOBVS ACCARISIVS F.

DVX Sereniſſime) Orationem hanc iuſſu tuo ſubitarie natam in Funeris vmbra non ſiſterem tibi, qui tanta ingenij, & doctrinæ luce ſplendes, niſi deferret ſecum fontes lacrymarum, quibus errorum maculas abſtergeret, exploratumque eſſet, non poſſe niſi turpem eſſe, cum in lucem prodierit ſepulchro Patre, matre Morte, quam tibi D. O. M. ſeram velit. Vale.

ORATIO.

ERGONE summa Principum capita mors nunquam feriet, quin tuum quoque, MANTVA, iugulum petat? Ergone gemmearum coronarum splendores nunquam sepulchri tenebris extinguet, quin lugubres tui feretri faces accēdat? Nunquam Regias calamitates in hac funerum Scena spectandas exhibebit, quin te primarum partium lamentatricem deducat? Luxisti non ita pridem (FERDINANDE PRINCEPS SERENISSIME) Ducis Lotharingij tibi gloria, sanguineq; cognati funus acerbissimum: hodie KAROLVM AVSTRIACVM immatura morte elatum propinquitatis iure atratus hoc publico exequiatum honore deploras. Cuius de laudibus breuissime dicam, vt palam sit, me potius tuo imperio obtemperare, quam illius gloriam exequare dicendo voluisse, quæ cum Austriaca sit, nulla temporis

meta concludi poteſt, cum nullis terrarum finibus circumſcribatur. Hanc enim Stirpem DEVS deſtinauit in Orbe, vt eſſet, cui purpuræ, ac ſceptra diſtribuerentur. Hæc vna domeſticos Reges, ac CÆSARES habet; huius ad ſinum, veluti ad ſecuriſſimum Aſylum perterrefacta confugiunt Imperia: ad huius diuitias exaggerandas Orientis littora gemmas effundunt aurum parturit India: Huius ad vmbram ſceptri Sol occidit, & renaſcitur. Hæc ſua fama, vltra notorum ſyderum curſum, vltra cogniti Mundi fines, vltra Oceani vaſtitatem irrumpit. KAROLVM vero Auguſtæ Familiæ claritati labem nullam aſperſiſſe, imo ad illam non parum luminis corriuaſſe, vt cætera ſileam, teſtentur ignes illi memorandi, quibus non pauca Hæreticorum caſtra perniciem certiſſimam Styriæ molientium concremauit. Fortunatiſſimæ flammæ, quæ tuam famam, KAROLE, illuſtrarunt, hoſtium furorem extinxerunt, offuſas Reipublicæ Chriſtianæ tenebras diſcuſſerunt. In illis vidiſti Hæreticorum fortunam conflagrantem, tuam gloriam, veluti feliciſſimam Phænicem rediuiuam. In illarum ardoribus Charitas in Styria extincta iam pene reuixit, virtutes omnes refloruerunt. Harum flammarum lumen diutius contemplarer, niſi alia lux oculos auocaret, auri ſcilicet liberaliſſime in pauperes erogati. Græcij aliquando cum Sacris intereſſet, inopum caterua ſtipabatur. Iam famuli quidquid numorum delatum fuerat, diſtribuerant; benigniſſimus Princeps ægre ferens à ſe miſerrimorum hominum turbam dimoueri non muneratam, aureum torquem ſibi è collo diſcerpſit, ac diuiſum in egenos diſperſit. Quis glorioſa narratione commemoret

cele-

celeberrimum illum KAROLI V. triumphũ, quo duodeuiginti nisferrimos Principes aurea catena ad suæ victoriæ currum alligauit, cum ARCH. KAROLVS multo plures aureo torque constrictos in beneficentiæ suæ triumpho deduxerit. Pulcherrimum illud monile, immortalia tuæ virtutis, KAROLE, trophęa in honoris templo suspendet: præclarissimam tantæ rei famam constringet, ne cum temporis cursu diffugiat; quot in illo anuli sunt inserti, tot augustissimæ coronæ tuo capiti formabuntur. Hæc aurea catena cum illius benignitate cęterarum virtutum longissimam seriem connectat, magnanimitatis in difficillimis negotijs aggrediendis, constantiæ in perficiendis, patientiæ in turbulentissimis Leuchtenburgi tumultibus perferendis, prudentiæ in componendis. Mitto integerrimæ vitæ pudicitiam, quæ in illo tanta fuit, vt vel audito verbo, quod candorem læderet, rubore suffundi solitum perhibeant. Non commemoro studium Christianæ Religionis conseruandæ, quo tantopere flagrabat, vt non semel in templorum ruinis Hæreticorum violentia dirutorum, ædes amplissimas excitarit. Testis sit Basilica illa magnificentissima Sancti LAVRENTII, quæ Iulij Carnici bellorum ardoribus exusta pulchrior è suis flammis, vt olim Laurentius, euasit. Prætereo prouidentiam admirabilem, qua, ne sibi, quibus præerat, Brixini Ecclesiæ à Transiluano Christiani nominis hoste truculentissimo deturbarentur, triplici militum corona obsedit arcibus vrbis non ità bene munitis, ratus Vrbem illam nunquam expugnatum iri, cuius bene munita Religio esset, nec posse in sceleratissimorum hominum victorijs captiuam duci, cuius coronata Sanctitas triumpharet.

pharet. Hæc in prima ætate KAROLVS virtutum fundamenta iecit, in solidiore, suæ fabricam gloriæ ad fastigium deduxit, tùm publicarum Academiarum erectione, in quibus adolescentum animi litteris, ac pietate imbuerentur, tùm ruinis ædium religionis desertorum furore excisarum. Postremis hisce annis primum in ditione Brixinensi templum Deiparæ dicatum Saxones formidolosissimi Hæresis Duces occupauerant, in quo omnia scelera per summam licentiam perpetrabant. Aurea vasa ferreis moribus famulabantur, Sanctorum Cęlitum picturę, turpissimorum criminum imagine deformabantur. Ante aras non accensæ lampades, sed gladiorum fulgores ardebant; non Sacerdotum preces, sed sacrilegorum periuria resonabant; non æra campana hominum multitudinem conuocabant, sed ærea tormenta longe repellebant. In discessu, ne quid scelerum moli perficiendæ deesset, demoliti sunt templum in castra non procul inde submota se recipientes. KAROLVS ad ruinas in colle situatum ædium, vbi sub ictu patebant castra, tormenta deduci iubet, in quorum hiatus demolitionis rudera conijcit. Verberabantur hostes disiecti templi cœmentis, qui partim prostrati, partim fugati lamentabantur, quod ex impositis KAROLO vulneribus inexpectatam in se mortem deriuassent. Faceßat mihi magni KAROLI victoria illa singularis, in qua dirutis suę vrbis mœnibus circumsidentes oppreßit Barbaros; nam Archidux Karolus templi ruinis sepulchrum perditißimis demolitoribus ædificauit, in quo immortalis illius fama perennabit, in cuius marmoribus nouum victoriæ genus incisum à posteritate legetur, KAROLVM videlicet Austriacum propria de hostibus clade triumphas-

phasse. Hucusque defuncti Principis gloriam mortis nuncia bombardarum æra celebrarunt, iam illustrent incendia, quæ pro funestis facibus in hoc lugubri apparatu collucebunt. Per Danubium vehebatur multa sulphurati pulueris vis in auxilium Hæreticorum, qui Pragam facinorosissime occuparant à Transyluano transmissa. Iussit KAROLVS conijci faces in naues. Emicant vndæ nouo flammarum partu, fumeæ nubes obnubunt cęlum, quæ sanguinis pluuiam effundunt, militum capitibus grandinant, delabentium armorum splendoribus fulgurant, morientium eiulatibus circuntonant. KAROLVM diceres hostium naues confregisse, vt suam gloriam securius per orbem deportarent. Quousque Danubij aquæ in Mare ferentur, in rapidissimis cursibus firmum tantæ cladis monumentum conseruabunt. Quousque bombardarum æra in bellis tonabunt, tuam gloriam resonabunt. Ab igne Danubij ad aquas lacus Neoburgensis orationem transferrem, in quo Mansfeldum irrumpentem funditoribus repulit fistulatorum ala, illum docens duriora esse verbera ferri, quam funium, nisi ad lacrymarum flumina prouocaret. Videtur enim Princeps inuictissimus aquę, & ignis beneficio præclarissima facinora superstes præstitisse, vt largiores in obitu suo lacrymarum riuos extorqueret, ardentiores funeri suo faces accenderet.
Nam quæ regio tàm remota est, ac dissita, quæ tantæ mortis accepto nuncio non vberrimos sit fletus profusura? Te, Pannonia, testor, cuius celebriores vias KAROLVS ab insidiatoribus liberauit, nobiliora flumina nauigationibus prædonum interclusit, sepulchra militum, qui pro Christi fide gloriosissime occubuerunt, auri

eçlati ornamentis magnificentissime illuminauit; nonne summo dolore conficiere, cum iam per mortis insidias ereptum, inter lacrymarum flumina elatum, tumuli tenebris inclusum audies? Te appello, Styria, quæ eius diuitijs inopes subleuabas, eius auspicijs felicissimas victorias reportabas, eius religione templa ab Hæreticorum inuasionibus secura conseruabas. Vidisti suum caput in discrimen offerentem, vt à Lutheranorum furore sancti brachium Gręcij tutelaris, quod summis honoribus colebatur, vindicaret. Vidisti denudata interiora eius cubicula preciosioribus peristromatis, vt Aras tuas vestiret. Admirata es sui ipsius imaginem ex solido auro exquisitissime elaboratam in Christi seruatoris Cruci affixi formam pro Ecclesię Brixinensis vsu transtulisse. Nihil præstitisse credideras, pijssime Princeps, quod ad commune religionis bonum pertineret in templis condendis, Aris exornandis, Basilicis amplificandis, nisi Charitatis potius, quam flammarum vi colliquefactus in perfectissimam CHRISTI imaginem transfunderere? Vos postremo, vltimi Pannoniæ montes, quorum niues Karoli milites calenti Turcarum sanguine dissoluerunt; nonne pro eliquatis niuibus calentium nunc deuoluitis flumina lacrymarum? Quas etiam vberrime Germania profundit; quæ Principem suum abeuntem comitata est, nunquam amplius obuiam futura reuerso. Lugent Ecclesiæ Præsulem vigilantissimum, milites Ducem fortissimum, inopes largitorem munificentissimum, Templa conditorem, Christiana Religio propugnatorem, qui potuit vel in media flumina, pro Catholica fide pręliaturas flammas accersere. Luget FERDINANDVS Cæsar Augustissimus,

quod

quod alienissimo tempore amiserit Fratrem splendorem, Generis, Sceptri robur, Imperij firmamentum, cum eius opera in bellis impendentibus vsui erat maximè, futura. Luget Lusitania, quod prius acerbissimum eius, funus lamentata sit, quam iucundissimo aspectu frueretur, quæ iacturam quantam acceperit, testantur (cetera vt omittam) voces illæ, quibus vitam fere conclusit, immortalis in Lusitanos amoris testificatione plenissimæ. Nunciatum fuit, cum mali mole premeretur Lusitanorum classem, oceani æstibus pertinacissimis, Hollandorumq; inuasionibus periclitari. KAROLVS inter mortuis penè vocibus Philippum Regem Hispaniarum astantem compellans ait, maius detrimentum Lusitaniæ futurum, si classis ornatissima periret, quam si ipse vi morbi perimeretur. O' vocem supremam, quam veluti tonitruum in illis mæroris nubibus resonans, vberrima Nepotis Regis lacrymarum pluuia subsecuta est! O' Principis deficientis extremam vocem, quæ vel ipsum Lusitanis iratum mare ad commiserationis sensum reuocare potuisset! Appuleras iam penè, constantissime KAROLE, humanis periculis defunctus ad portum felicitatis: eorum miserebaris, qui in medijs oceani fluctibus agitabantur. Erat prope, vt iucundissima illa tranquillitate fruereris, quæ nullis obnoxia tempestatibus est: mœrebas strenuissimos, & pijssimos milites, quorum patrocinium, & regimen susceperas, periculosissimis turbinibus obuallari. Ægrius ferebas Lusitanos aquarum fluctibus submergi, quam te ardentissimis febrium flammis torreri. Spiritum profudisses libentissime; si reflantium ventorum spiritus vehementissimos cohibere potuisses, quibus Catholicorum naues

ad

ad ſcopulos alliſæ concutiebantur. Quare nil mirum ſi luges, Olyſippo, cum feſtos ignes, quibus beneficentiſſimi Principis tui aduentui gratulatura eras, in exequiales faces commutaueris. Lacrymaris, FERDINANDE DVX SERENISSIME, qui tanta propinquitate cum Auſtriaca Stirpe coniunctus es, vt omnia eius vulnera tua ſint, eius vulneribus ſanguinem profundas, ſepulchralibus eius vmbris funeteris. Solus KAROLVS in tanto omnium mœrore lętatur, qui in medio difficillimi itineris curſu (vt ſperamus) metam attigit felicitatis, qui à Patriæ finibus longe profectus, in Patriam receptus eſt, quæ nullo terminatur fine.